Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 279
Quelle:
Copyright:

tinet *Commentarium in Isaiam* prophetam, cujus autor est *Joachimus Calaber Ord. Cisterc.* primum *Curatii* Abbas, dein *Congregationis Florensis* institutor, vir, ut multis visum, spiritu prophetico, aut saltem magno intelligentiae dono, et doctrina non vulgari praeditus, Sec. XII. Scriptor. Initium Codicis nostri ὑστερον πρωτερον compacti nunc est a C. XIII. *Isaiae* hoc tenore: *Ecce in prouinciis istis Auster et oriens describuntur que et quia date sunt in Atrium exterius* &c. Coincidunt haec cum *fol.* 28. *edit. Venetae* Commentarii hujus per *Laz. de Soardis* 1517. 4. Deficit itaque loco suo *Prologus* et XII. *Capp.* expositio, cetera usque ad finem salva sunt; at vero *fol.* 26. *Prologus* et praedicta expositio subsequuntur. *Figurae*, quae in *edit. supracit.* Commentarium antecedunt, nobis a *fol.* 21 — 25. unacum adjectis notis habentur, et quidem tribus plures, *Aquila* videlicet, *Arbores* duae et totidem *Specula manualia*, quarum Lemmata hic adponere difficiles nugas censemus. *Schemata* vero, quae Enumerationem *Regionum* circulis conclusarum exhibent, quaeque in *edit.* a *fol.* 9. usque ad 28. visuntur, in *Cod.* nostro a *fol.* 32. ad finem pertingunt. Ultimum est *Santa seuerina.* Itaque maximam partem deficiunt. De Autore ejusque Scriptis, quae των Αποκαλυψεων studiosi vel hodie nare sagaci persequuntur, adi *Papebrochium Act. SS.* T. VII. *Maji* 29. p. 89. aut *Fabricii Bibl.* T. IV. p. 39.

CIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 190. 4. a Diversis conscriptus et olim e Bibliotheca homiletica, quae multa jam nobis subpeditavit, *Wenceslai Rossii*, ut ejus nomen 1519. *fol.* 6. et iterum *Vlassimii* 1540. *fol.* 156. inscriptum testatur, sequentia complectitur: I. Fragmenta cujusdam Sermonis *de Poenitentia*, qui incipit: *Beati quorum remisse sunt iniquitates. loquitur propheta in persona penitentis* &c. et Quaestionis *de Irremissibilitate peccati in Spiritum S.* hoc initio: *Orationibus in christo premissis. Quia dubitantibus sanum est consulere* &c. 533

II. *fol.* 3. sequitur: *Lectura Magistri Stephani de Colonia sacre Theologie professoris super yzaiam prophetam.* Initium: *Uisio yzaie etc. Liber iste diuiditur in titulum et tractatum. Vel primo describit suam prophetiam. 2° subiungit descriptam* &c. De Autore nil reperio. Vastum fuisse oportet ejus Commentarium, siquidem *Prophetam* emensus est, cum, quae habentur in *Codice*, *Caput* II. non superent. Multa lectu digna continet. Ita *fol.* 64. in C. II. v. 4. *conflabunt gladios suos in vomeres*, haec habentur: *Sed heu hijs iam mestis temporibus res uersa est in oppositam qualitatem. Ita ut iam non gladios in vomeres sed e conuerso vomeres in gladios commutent*